

No. 41. 1329. 6. Jan.

Agatha Aebtissin des Nonnenklosters zu Seusslitz bezeugt, dass sie mit Genehmigung ihres Convents und unter Zustimmung des Markgrafen Friedrich den Besitz und die Verwaltung des Hospitals bei Dresden an Burgermeister und Rath daselbst zu erblichem Rechte übertragen hat unter Vorbehalt von 20 Pfund jährlicher Gefälle von namhaft gemachten Ortschaften, Gütern und Zinsleuten und mit Ausschliessung der Gerichtsbarkeit des Raths auf diesen zinspflichtigen Gütern; dass ferner der Rath zum Schutz der Klostergüter und zur Unterstützung der klösterlichen Zinssammler verpflichtet sein und das Hospital nicht ohne Genehmigung des Klosters veräußern soll, unter gleichzeitiger Festsetzung der Bedingungen einer event. Ablösung der vorbehaltenen 20 Pfund; dass endlich der Rath zu Anerkenntniss des gesammten Vorganges jährlich zu Michaelis ein Pfund Wachs an das Kloster einzuliefern hat.

In nomine domini amen. Quoniam quod inter homines agitur cito a memoria labitur, ideo necesse est ut gesta quaelibet sub scriptura et testimonio ad posteros transferantur. Hinc est quod nos soror Agatha abbatissa dominarum ordinis sanctae Clarae in Suselitz tenore praesentium protestamur, quod viris honorabilibus magistro consulum in Dresden et consulibus ceteris ac ibidem civibus universis hospitale circa Dresden de voluntate et consensu totius conventus dominarum in Suselitz iure contulimus hereditario pro se et suis successoribus perpetuis temporibus possidendum, dictum hospitale regendo ordinando statuendo pro sua libera voluntate. Cui collationi dominus Fr. Thur. Iantgravius ac Misnensis et Orientalis marchio annuit et consensit, licet in suis litteris^{a)} modos et conditiones non expresserit, in quibus convenimus et condiximus cum civibus supradictis, quae per omnia rata et firma tenere debemus ac si essent posita in ipsis litteris et expressa. Conditiones vero hae sunt, quod nos pro monasterio nostro de bonis hospitalis XX talenta annui census habebimus de libera et bona voluntate omnium civium et conniventia singulorum et quia in dicto hospitali ius pingue et utilitatem habuimus fructuosam, ita ut tempore necessitatis nos ibidem recipere poteramus et omnia bona hospitalis nostris usibus adaptare, quia tali conditione nobis est a principibus collatum appropriatum pariter et dotatum, ut in nostris privilegiis plenius continetur, vos autem dictam collationem gratam habentes nostris indempnitatibus occurrere studuistis, ut ius et amicitia exoptulat et requirit. Dignum est enim et consonum rationi, ut unde quis commodum accipit, alter dispendio non gravetur. Idcirco in recompensam et restaurum tantae collationis ad instantiam vestrarum precum vobis factae et renunciationis benevolae bonorum hospitalis, quae nobis fuisse tam utilia potuissent, annuistis libere et voluntarie concessistis, ut praedicta XX talenta annis singulis nostro monasterio obveniant cum omnibus iudiciis et iuribus, ita ut vos non possetis in bonis, ubi haec XX talenta sunt locata, quacumque de causa ius aliquod vel iudicium vindicare. Et haec XX talenta sita sunt in villis et locis subscriptis. In Goluz^{b)} VII talenta et V solidi parvi et V modii triciti, V modii siliginis, X modii avenae, quod ‚wachcorn‘ vulgariter nominatur, decimae IIIſ sexagena sigilinis et avenae et quidquid de VII aratris et de XXVIII falcibus cadere iuris

a) Nr. 40. b) Ober- und Nieder-Gohlis, Par. Briessnitz.